

T H. XIII.

In suis heredibus aditio non est necessaria, quia statim ipso jure heredes existunt. *l. in suis. 14. ff. de suis & leg.*

T H. XIV.

Pater instrumento dotali comprehendit, filiam ita dotem accepisse, ne quid aliud ex hereditate patris speraret, eam scripturam jus successionis non mutasse constitit. *l. ult. ff. de suis & legit.*

T H. XV.

Matris intestatæ defunctæ hereditatem ad omnes ejus liberos pertinere, etiamsi ex diversis matrimoniis nati fuerint, juris est. *l. 4. ad Sct. Tertull.*

T H. XVI.

Soboles ex quinquagenaria matre, licet mirabilis inveniatur & raro contingat, suo tamen patri succedit. *l. 12. C. de legit. hered.*

T H. XVII.

Si mater testamento factio filium heredem scripserit unum sub conditione, cum plures habeat, si conditione bonorum possessionem petierit, & postea conditio defecit, æquum est cæteris etiam filiis legitimam hereditatem non auferri. *l. 1. §. 7. ff. ad Sct. Tertull.*

T H. XVIII.

Si liberi primi gradus cum nepotibus, sive ulterioribus descendentes, concurrant, descendentes ulterioris gradus succedunt in stirpes jure repræsentationis: Quod jus in linea recta in infinitum locum habere videtur. *N. 118. c. 1.*

T H. XIX.

Est autem jus repræsentationis nihil aliud, quam Jus, quo liberi in locum Parentum, personamque eorum ita repræsentant juris fictione, ut tantum ex hereditate capiant, quantum Parentes, si superstites essent, accepturi fuissent. *§. 6. ff. de success. ab intest. l. 3. C. de suis & legit.*

T H. XX.

In stirpes fieri successio dicitur, cum tot hereditatis partes constituuntur, quot sunt stirpes, unde personæ succedentes descendunt,